



I.

R V S S I A E T O P O G R A P H I C A
descriptio , è probatissimis autho-
ribus compendio deponita.

RVSSIA, quæ & Muscovia à metropolios nomine vulgo dicitur, fines habet ad arctum Lappiam, & oceanum septentrionalem; ad orientem Tartaros Nagaios; ad meridiem Tartariam Cri meam sive Perecopensem; ad occidente denique Poloniam, Lithuaniam, Livoniā, Sueciam. Quemadmodum jam ubi Principi paret, continet provincias hasce: Volodemeriam, Moscoviam, Nisnovogrodiam, Pleskoviam, Smolensko, Novogrodiam Velicam, Rostoviam, Yaruslaviam, Bealezeram, Rezam, Dvvinam, Corgapoliam, Meshoram, Vaghām, Vistugam, Galetsam. Quibus superiori seculo Principes Russiæ armis acquisitas adjunixerunt Tiverram, Yonghoriam, Permiam, Vadskam, Boughoriam, Chernigo, Oudoriam, Condoram, & magnam Siberię partem; cuius incolæ lice: non sint Russi, tamen

M o s c o v i - A E.

Ies Russiæ Ducī pro tributo ferunt. Nul-
lx hic urbes aut arces, ac ne pagi quidē.

Lucomoria Regio.

Hæc Regio longo tractu juxta mare septentrionale protenditur. Incolæ passim in sylvis & campis degunt. Huic regioni confines sunt; Grufintzi & Serponovvtzi, à castro Grufina ad lacum Kitaysko sito ita dicti. Ab hoc lacu homines nigri, communis idiomatis ignari, ad Grufinam arcem solent accedere, varias merces deferentes, præcipue uniones, gemmasque varias, quas Grufintzi ab ipsis permutatione mercantur. Omnes autem Lucomoriæ incolæ magno Duçi sunt vestigales. Ex Lucomoriæ montibus Cossin fluvius oritur, qui in magnum fluvium Tachuim descendit.

Loppi Regio.

A Lucomoria ultra tendendo secundū mare glaciale Loppi populi agunt, barbarum & brutum hominum genus, qui incertis sedibus vagantur, piscibus & ferina viatates, & panis usum omnino ignorantes. Idioma proprium habent. & Russiæ Ducī tributum pendere dicuntur. Regio illorum frigidissima est.

Ceremissi populi.

Ceremissi, Mordovotes, & Vachines, inter Viatkam & Vologdam provincias, vastas sylvas sine certis laribus